



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VII. De forma componente essentialiter corpus naturale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

Conimbric. vbi supra & alij. Ad primam rationem contrariam dicendum est, hoc à posteriori constare, quod quauis materia sublunaris esse possit sub forma, non solum propria, sed etiam aliena: quare non est cur non sit eiusdem speciei, cum materia habente formam alienam, & dissimilem. At nec à posteriori, nec aliter, certò constat, materiam cuiusvis celi esse posse sub forma alterius: proinde haud debent orbes caelestes materia eiusdem speciei constare.

25 Ad alteram rationem contrariam dicendum est, non esse de conceptu materiae primae, vt sit indifferens ad plures formas speciei diuersas, sed eam esse posse adstrictam ad vnam solum, quoad speciem. Ita præter alios expressè P. Petrus Hurtado, disputatione 1. de coelo sectione 2. conclusionem 5. §. 30. Et constat, quia si materia deberet habere talem indifferenciam, & amplitudinem, maximè quia est subiectum, & non forma, in compositione substantiali: sed, quod ex conceptu subiecti non debeat esse indifferens ad plures formas specificè diuersas, liquet ex dictis supra tractatu 1. capite 5. Porro materiam esse primum cuiusque subiectum; item ab ea desumi genus & differentiam à sola forma, non vrget: siquidem hæc Aristotelis ac cæterorum Philosophorum pronuntiata intelligi debent de sola materia sublunari de facto existente: quare huic soli, non celesti, repugnabit alligatio ad vnam specificè formam, & incapacitas ad plures. Ad tertiam rationem contrariam dicendum est, haud sine necessitate multiplicari specificè materias caelestes; cum hæc multiplicitas ad decorem, & ornatum cælorum, neque non ad eorum incorruptibilitatem melius explicandam valde conducat, vt superius dictum est.

26 Tandem principaliter obiicies, materiam primam, vt sic, esse puram potentiam; ac proinde non posse diuidi in caelestem & sublunarem, vt in inferiora speciei diuersa: vti è contrario actus purus, nempe Deus, est omnino incapax multiplicatis specificæ: Item, actum esse qui distinguit: haud ergo posse materiam sublunarem, cum actus ac forma non sit, specificè distingui à celesti. Sed respondeo, hæc & similia proposita, atque exposita esse, supra cap. 1. inter defendendam possibilitatem, plurium materiarum sublunarium, inter se, speciei diuersarum.



TRACTATUS VII.

De forma componente essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An, & quid sit forma substantialis?

FORMA substantialis est actus vnus per se cum materia constituens, componensque. Quam in rebus dari, apud omnes modo constantissimum est: Vsq̃ adeo ta-

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

men euident non est, vt actu rata probatione non egeat. Probatur ergo primò, quia datur in rebus materia prima: ac non informis substantialiter, ergo forma substantiali prædita: talis ergo forma datur. Consequentia est perspicua. Maior minorque constant ex dictis supra tractatu primo & secundo. Secundo, quia in quouis ente naturali datur aliqua prima radix, quæ certas, ac determinatas speciei operationes, & proprietates postulet: Atqui ea prima radix est forma substantialis, ergo &c. Maior experimento testatissima est: viuientia siquidem diuersas operationes, ac proprietates à proprietatibus non viuientium essentialiter postulant: & viuientia perfectiora diuersas etiam proprietates, & operationes exigunt, ac viuientia imperfecta; cuius irrefragabile signum est diuersitas illa organorum, quibus altera, & altera pollent: Rursus elementa omnia diuersas operationes, ac proprietates suo sibi iure vendicant: quo pacto alia algent, alia calefcunt, alia hument, alia arefcunt, alia sursum, alia deorsum suis momentis feruntur: Et quidem entia naturalia determinatas operationes, & proprietates vsque adeo postulant, vt semel deperditas innata quadam vi eorum non pauca recuperent, & recuperatas conseruent.

Minor autem argumenti, probatur; nam, quod omne ens naturale peculiare operationes, & proprietates postulet, non oritur à materia; quippe quæ ad has, & illas proprietates, & operationes hominis, aut equi verbi gratia, aliasve quæcumque de se indifferens est: neque etiam oritur ex eo, quod ens naturale sit corpus simplex completum, cui eæ operationes, & proprietates præ aliis debeantur: tale siquidem illud nequaquam esse in superioribus abundè demonstratum manet: nec denique proficiscitur ab exigentia alicuius accidentis: tum quia prima radix essendi in homine verbi gratia, qualis est materia prima, accidens esse nequit: tum quia in Angelo, quod eius proprietates, & operationes destinare postulat, non est aliquod accidens, sed substantia ipsius Angeli: Similiter ergo in presenti, &c. sola ergo forma substantialis in ente naturali reliqua est, quæ certas proprietates, & operationes, tanquam prima radix, possit postulare?

Tertiò probatur dari in rebus formam substantialem, quia Leo, & equus verbi gratia, essentialiter differunt: at dici non potest, eos differre essentialiter, propterea quod sint corpora simplicia speciei diuersa: quod enim eiusmodi corpora non sint, patet ex initio tractatus primi: nec eò quod materias speciei diuersas sortiantur; cum materias omnes sublunares eiusdem esse, speciei perspicuè probatum sit capite 1. tractatus 5. præcedentis: nec quia formas accidentales speciei diuersas sibi vendicant, cum hoc non tam sit essentialiter, quam accidentaliter, eos differre: ideo ergo præcisè differunt essentialiter, quia formas substantiales speciei diuersas sibi vendicant: ac proinde hæc in rerum natura reperiuntur. Minor & consequentia manifestæ sunt. Maior probatur: tum quia, Leo, & Equus, non differunt merè accidentaliter, vt equus albus, & niger, vti lumine naturæ compertissimum est; ergo essentialiter: tum quia differre speciei dif-

D 2 ferre

ferre essentialiter, cum species integra completâque rei essentia sit & dicatur: atqui Leo, & equus specie differunt, ut constat ex 1. Genes. ibi. *Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas*: ergo, &c.

4. Quartò: cum stupa verbi gratia merè calefit ad pristinam temperiem, & statum mox reditura, certè diuersa longè mutatio est, atque cum de stupa in ignem, & postea in fauillam cineremque conuertitur absque vlla spe, aut possibilitate recuperandi pristinas proprietates, ut euidentissimum est: ergo quia prior mutatio accidentalis est, & posterior substantialis: at non est substantialis, eò quod destructa stupa corpus aliquod simplex substantiale, aut materia prima substantialis destruuntur: ergo quia forma substantialis stupæ destruitur: tam ergo certum est, dari in rebus formas substantiales, quam quod plures dentur mutationes destructionisque substantiales.

5. Quintò: quod homo constet corpore, & anima rationali, & fide sanctum est, & ratione certum: at anima rationalis est forma substantialis corporis: ergo &c. Minor probatur: tum quia, si anima rationalis non esset forma corporis sed corpori velut nauis afflitteret, ut nonnulli Philosophi antiquitus arbitrati sunt, sanè non esset cur separanda à corpore violentiam illam pateretur; nec esset cur primo in corpore produceretur, & non aliquoties extra corpus, aut anteaquam corpus ad eam vltimo disponatur; ac demum non esset cur vnum per se cum corpore constitueret magis quam Angelus, cum non sit magis forma corporis quam Angelus si nulla datur in rebus forma substantialis.

6. Sextò tandem, certa & communis sententia suadet, ex mysterio Eucharistiæ: quippe in quo fides docet substantiam omnem panis destrui, & accidentia omnia panis subremanere: substantia autem panis quæ destruitur non est corpus aliquod simplex completum, cum eiusmodi corpus, saltem in subluaribus, minimè detur: nec est sola materia prima; Hæc enim tota substantia panis non est; aliàs sub speciebus panis lateret post consecrationem substantia etiam panis, siquidem sub iis ponitur materia Christi Domini, quæ respectu accidentium idem exercet munus, quod materia panis, si adesset, exerceret: nec substantia siue essentia panis, quæ destruitur, est accidens aliquod primum, quod reliquas proprietates panis, tanquam prima radix, postulet; quia ita omnia accidentia panis post consecrationem non remanerent, contrà quam fides docet: tota ergo substantia panis quæ in Eucharistia dicitur destrui vi verborum consecrationis est compositum ex materia prima panis, & eius forma substantiali: ac proinde hæc in rebus reperitur.

CAPVT II.

In eadem materia prima plures formæ substantiales naturaliter componi nequeunt: at possunt supernaturaliter.

7. Plerique Theologi & Philosophi apud Patrem Suarez disputatione 15. Metaphysicæ sect. 10. numero 62. docent, ex natura rei in vna mate-

ria vnam tantum esse posse formam substantialem. Quorum sententiam probo, rationes probare non possum, utpote quæ facili negotio solui possunt, pro eo ac videre est apud Arriagam disputatione 3. Physicorum sectione 6. subsectione 4. Ipse ergo communem sententiam in hunc modum suadeo. Nequit vna forma substantialis plantæ verbi gratia, diuersas materias simul informare: nequibit ergo similiter vna materia diuersas formas substantiales simul sustentare. Antecedens est manifestum: Consequentia probatur: quod eadem forma substantialis plantæ diuersas materias simul informare nequeat, ex imperfectione eius formæ proficiscitur: at materia prima longè imperfectior est ea forma, & aut omnibus, aut plerisque aliis, ut in superioribus demonstratum manet: haud ergo simul sustentare poterit plures formas substantiales ordinis. Maior suadet, quia si forma plantæ esset adeò perfecta, ac anima rationalis, aut si maior, ac anima equi, profectò sicut anima rationalis, & in aliquorum sententia anima etiam equi diuersas materias partiales, siue partes diuersas eiusdem materiæ, se totis indiuisibiliter informant, ita etiam forma plantæ eas posset informare: quod ergo eas informare nequeat in eius refundi debet imperfectio-

Argumentor secundò: forma substantialis est illa compositi pars, quæ eius determinatas operationes, & proprietates tanquam prima radix postulat: At huiusmodi prima radix in quouis composito est vna sola: ergo. Minor probatur: quia anima rationalis est longè perfectior, quam anima equi, & forma corporeitatis, aut alia quævis materiæ cœua; ambabus, inquam, perfectione superior est, ut certo certius videtur: atqui collectio animæ equinæ, & formæ corporeitatis est iuxta aduersarios operationum & proprietatum compositi prima radix: ergo à fortiori sola anima rationalis ambabus perfectior prima radix operationum, & proprietatum compositi esse poterit, ac proinde in homine eiusmodi prima radix erit vna tantum. Rursus anima equi longè perfectior est, quam complexum formæ plantæ, & formæ corporeitatis: quare sola anima equi eius proprietatum, & operationum sufficiens radix esse poterit: & sic discurrenti à formis perfectioribus ad imperfectiores in omni ferè composito substantiali vnam operationum, & proprietatum primam radicem, vnamque formam esse comperietur.

Argumentor tertio ad homines; quia sicut materia completur substantialiter per formam, ita forma completur substantialiter per substantiam: sed forma, omnium confessione, nisi vnica tantum substantia non gaudet, nec pluribus naturaliter terminari potest. Equidem sicut in opposita sententia præter formam vitalem verbi gratia, excogitatur alia forma corporeitatis materiæ cœua, & ab ea in quouis eius statu inseparabilis: sic etiam in anima rationali fingi posset substantia aliqua ipsi cœua, & ab ea inseparabilis, siue intra, siue extra corpus sit. Et vltèrius alia substantia, qua solum in statu coniunctionis cum corpore potest.

Illud tamen negare non ausim, in alia rerum serie possibilem esse materiam, in qua naturaliter plures formæ substantiales coherere possint. Quod enim modo aliter vsuueniat, oritur ex imperfectione materiæ, ratione cuius pluribus formis sustentandis

stentandis par esse nequit, & ex perfectione formarum substantialium, quarum qualibet vni materiæ sufficiens est, eiusque vim passivam adequat: cur ergo in aliarum serie perfectio materiæ ita crescere, & perfectio formarum substantialium ita decrescere nequeant, ut vna materia plures formas substantiales sustentare possit, vnaque forma substantialis vni materiæ sufficere nequeat. Rursus forma est prima radix operationum, & proprietatum, quibus ens naturale præditum est: quamvis autem eiusmodi prima radix modo in vno composito vna tantum sit, non cerno, cur in alia rerum serie multiplex esse nequeat in eodem composito, ita ut vna has proprietates, & operationes, alia verò alias postulet, quin altera alteram præsupponat, sed æque primò materiam efficiant.

11 Doctrina hæc tenus tradita toto hoc capite procedit potissimè in formis substantialibus subordinatis, & non tam habentibus contrarias dispositiones, quam ita se habentibus, ut aliæ disponant ad alias. Quod si sermo sit de formis non subordinatis, sed inter se oppositis, oppositæque fortientibus accidentia, cuiusmodi sunt forma ignis, & forma ligni v. g. profecto de his dicendum est, nec in hoc, nec in alio vilo rerum ordine fieri posse naturaliter, ut plures simul existant in eadem materia: ut enim ita existant, & componantur præcedere debent earum dispositiones in eadem materia: sed dispositiones earum sunt contrariæ, & ex natura rei incompossibiles; ergo & formæ, ad quas disponunt, eandem sibi vendicant contrarietatem, & incompossibilitatem.

12 Porro si non iuxta providentiam Dei ordinariam, & naturalem, sed supernaturalem, & miraculosam loquamur, sanè verius est, duas formas substantiales etiam contrarias, & minimè subordinatas posse diuinitus in eadem materia componi. Ita Suarez disput. 15. Metaphysic. sectione 10. num. 60. Hurtadus disput. 6. physic. serm. 3. §. 39. & Arriaga disp. 3. numero 306. Neque est difficile probatu: siquidem duæ vocationes circumscriptionis, & adequatæ opponuntur, vnaque destruitur per aliam, ut cernere est in motu locali: & tamen diuinitus possunt esse simul, idemque corpus afficere: item qualitates oppositæ in gradibus intensis ut calor & frigus v. g. possunt miraculosè in eodem subiecto coherere: quorū alterum, & alterum patebit in tempore: quidni ergo formæ substantiales contrariæ depositis veluti simultatibus queant diuinitus esse simul in eadem materia? Rursus in hæc earum conjunctione in eadem materia quæ terminorum contradictio reperitur: nulla certè ut ostendetur ad finem capitis sequentis.

CAPVT III.

Quædam argumenta aduersus doctrinam superiorem dissolvuntur.

13 Doctrina superius tradita varijs varijs modis renituntur. Siquidem Auicenna & Suesanus in quavis materia duplicem formam substantialem adstruunt; aliam specificam, quæ materiam determinat ad speciem aliquam entis naturalis & completi, hominis verbi gratia, aut lapidis: aliam genericam & materiæ coæquam, ab eaque inseparabilem, quæ materiam determinat ad rationem corporis, &

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

ob id forma corporeitatis nuncupatur: quam in solis animantibus Scotus cum alleclis, & ex nostra societate P. Egidius Coninck & P. Dandinus admittunt: & in solo homine eam Henricus reperiit tueri. Pro quorum sententia, & aduersus nostram luprâ positam obici solet.

14 Primò: corpus, prout condistinguitur ab anima, formam aliquam substantialem intrinsecè inuoluit: compositum enim aliquid est, non nuda materia: sed ea forma alia esse nequit, quam forma corporeitatis: ergo. Maior probatur ex mysterio Eucharistiæ: corpus siquidem Christi Domini ponitur vi verborum consecrationis sub speciebus panis, secus verò anima, ut fide sanctum est: at, si corpus in ratione talis per animam constitueretur, aliamve formam substantialem sui constitutum intrinsecè non inuolueret; sanè non minùs anima, quam corpus sub speciebus panis vi verborum collocaretur.

15 Secundò: quoties collectio accidentium est eadem, etiam forma substantialis est eadem; atqui in corpore viuo, & mortuo eadem omnino est collectio cunctorum accidentium non vitalium: ergo & forma corporeitatis est eadem in vtroque. Confirmatur, & declaratur: quantum duo lapides in iisdem specie accidentibus non vitalibus conueniunt, tantumdem corpus viuum & mortuum in iisdem numero accidentibus non vitalibus contentiunt: at in duobus lapidibus eadem specie forma substantialis est: ergo in corpore viuo, & mortuo eadem numero. Tertiò: oculus & auris in homine differunt specificè: siquidem diuersas specie operationes & proprietates sibi vendicant: haud secus ac leo, & equus: at non differunt specificè ratione materiæ, nec ratione animæ rationalis: ergo munere solius formæ corporeitatis, siue organice quæ quidem in oculo & in aure specie multiplex est, atque diuersa.

16 Quartò: quia cum moritur homo, in eius materiam nulla forma substantialis introducit: at substantialiter informis non manet: ergo in ea præcessit forma corporeitatis, quæ recedente anima à materia non recedit. Minor superius tractatu 3. probata est. Maior probatur: si qua forma substantialis animæ rationali succederet, maxime forma cadauerica: sed hæc in rebus admitti nequit: ergo, &c. Minor hæc suadet: tum quia sapè nulla est causa, à qua talis forma cadauerica producat: quando enim animal subito ictu, aut strangulatione interimitur; certè motus ille accidentalis, & imperfectissimus formæ cadauericæ suapte natura substantialis, & valde perfectæ causa efficiens esse non potest: aliud autem præter hunc motum assignari nequit, cui talis causalitas, & effectio possit adscribi. Tum etiam quia dispositiones omnino contrariæ ad eandem formam substantialem nequeunt disponere: atqui admissa forma cadauerica dispositiones omnino contrariæ ad eam disponent: cum animal modò ratione nihij caloris, interdum verò causa excessiui frigoris possit interire. Præterea forma substantialis est finis accidentium omnium: sed formæ cadauericæ, licet concedatur motu locali, & alijs multis accidentibus perfectior, tamen comparisonem formarum viuientium est valde imperfecta, adeoque finis esse nequit illius dispositionis organice, & accidentariæ, quæ in corpore etiam mortuo tam artificiosa, & mirabilis est: haud ergo inter formas substantiales est numeranda, aut tanquam illatum vna in rebus admittenda.

D 3

Denique

17 Denique; si datur in rebus eiusmodi forma cadauerica, sanè fatendum est, eam in materiam Christi Domini, cum mortuus est, fuisse introductam, triduoque in illa perseverasse. Consequens autem est absurdum: Ex eo enim fieret primò, corpus Christi corruptum fuisse: siquidem corpus Christi materia, & anima rationali constitutum in aliud compositum ex eadem materia, & forma cadauerica desuisset: quare non minus corruptioni esset obnoxium, quam ignis, cum in cineres, & fauillam conuertitur: contra illud Actorum 2. *Neque caro eius vidit corruptionem.* Secundò inde fieret, cadauer Christi esse integrum suppositum, atque adeò Christum aliam naturam præter humanam, nimirum cadauericam, assumpsisse, verasque esse has loquutiones: cadauer est Deus, cadauer est natum de Virgine, cadauer mundum condidit: Tertio inde fieret, carnem viuam, & mortuam vniuocè carnem non esse; atque adeo carnem de Virgine natam haud iacuisse eandem in sepulchro.

18 Verum hæc sententia sustinenda non est. Namque aut nomine corporis subiectum materiale intelligitur: & ita ut materia corpus sit, forma corporeitatis non eget; cum seipsa essentialiter quid materiale sit, & contra spiritum distinguatur. Aut ratione corporis intelligitur subiectum triæ dimensionis, siue extensionis: & ita etiam materia non indiget forma corporeitatis, ut corpus sit; cum per quantitatem triplici illo modo possit extendi, ac mensurari. Aut per corpus intelligitur subiectum organizatum & ad formam substantialis specificæ receptionem dispositum: & nè ad hoc materia vllatenus eget forma corporeitatis, cum per dispositiones accidentarias in ratione eiusmodi corporis apprimè constituatur. Aut demum nomine corporis corpus substantiale completum, homo v. g. aut equus intelligitur: & ad id formam corporeitatis necessaria non est, cum materia ratione vnus solius formæ substantialis in ratione eiusmodi corporis componatur.

19 Ad primam rationem oppositam respondeo, corpus, quod vi verborum ponitur sub speciebus panis, vel esse solam materiam primam Christi, vel materiam quantam, vel materiam organicam: cum ergo corpus in hoc triplici sensu non constituatur in ratione corporis per animam Christi, haud certè est, cur hæc sub speciebus panis vi verborum consecrationis poni debeat; Aut cur id ex nostra sententia sequi censetur. Ad secundam rationem contrariam respondeo: quod collectio plurium accidentium in corpore viuo, & mortuo eadem sit, eiusdem formæ in utroque indicium esse non potest: siquidem vinum, & acetum v. g. in bona accidentium parte conueniunt, quin tamen eandem speciem formam substantialem, sibi vendicent. Exemplum duorum lapidum non vrget; namque in omnibus accidentibus absolute conueniunt, & in nullo per se loquendo specificè differunt; cum tamen corpus viuum, & mortuum in solis accidentibus non vitalibus consentiant, in reliquis verò, quæ præcipua sunt absolute discrepent.

20 Ad tertiam rationem contrariam respondent aliqui, oculum, & aurem in homine specie differre, ob diuersas speciem vniones substantiales; in reliquis verò animantibus, eo quod illorum formæ substantiales partibus heterogeneis, seu specie diuersis constent, quarum altera oculum, altera aurem, &c. constituit: quare non esse, cur in homine, aut aliis animantibus forma corporeitatis admittatur. Cæterum melius, & melius respondetur oculum, & aurem, cæterasque partes substantiales, tum hominis, tum aliorum viuorum specie non differre, sed potius conuenire, ut

latius declarabitur infra lib. 10. huius operis. Ad quæ tam rationem contrariam respondeo, defectu causæ secundæ, si quando deficit, causam primam producere formam illam cadauericam, quæ substituitur loco formæ viuæ. Deinde, cum forma cadauerica non ratione sui, sed ratione formæ viuæ à natura intendatur, & ut eius defectum suppleat, non postulat peculiare dispositiones, sed eas, quæ expulsiuæ sunt formæ viuæ, in cuius vicem successura est: quare, cum dispositiones omnino diuersæ, & inter se contrariæ formam viuæ expellere, & eius temperamentum demoliri possit, mirum non est, quod hæc etiam ad formam cadauericam possint disponere. Rursus forma cadauerica, quantumlibet imperfecta comparatione formæ viuæ, tamen tot accidentium, ac dispositionum mirabilium finis esse potest; secundarius nimirum, & qui ab iis non nisi in defectum formæ vitalis, ac nobilioris expetatur.

Tandem: cadauer Christi quidni sit integrum suppositum. Ad primum inconueniens dicendum est: Caro Christi bifariam accipi potest: primò substantialiter complete: & sic corruptam fuisse non inconuenit: secundo substantialiter incomplete, pro materia nempe Christi quantæ, & organicæ: & sic in triduo corruptionem non vidit; cum semper externam organizationem humani corporis retinuerit. Ad alterum inconueniens dicendum est, verbum aliam naturam præter humanam simpliciter non assumpsisse, vel quia sola materia cadauerica Christi verbo subsistit? forma verò cadaueris per propriam & creatam subsistentiam: quæ solutio satis probabilis est, si de subsistentia philosophemur, ut communiter reliqui philosophantur, eamque à toto per se distinguamus; vel quia verbum solam naturam humanam inseparabiliter assumpsit, & formam cadauericam assumptam dimiserit, quod non magis inconuenit, quam vnionem corporis, & animi semel assumptam dimisisse: vel demum, quia naturam humanam ita solam assumpsit, ut nullam aliam completam naturam aut à natura humana complete distinctam assumpserit. Quod verò ad loquutiones adductas spectat, non video, quod eis admissis inconueniens leui possit, aut cur magis absonent, quam hæc: Deus mortuus est: Deus crucifixus est.

Quid? quod Marsilius, & alij probabile censent, 21 formam cadauericam in materia Christi introductam non esse, eamque omni forma substantiali in triduo caruisse; quo saltem supernaturaliter admissa, eæ & similes rationes Theologicæ penitus eneruantur. Ad postremum inconueniens dicendum est, aut nomine carnis corpus organicum intelligi; & ita carnem viuam, & mortuam esse specificè eandem siquidem materia prima, & externa organizatio eadem est, siue quis viuatur, siue vita fungatur: aut ratione carnis intelligi corpus substantiale completum; & sic carnem viuam, & mortuam differre specie, nec esse vniuocè carnem cum altera per formam viuam, altera verò per cadauericam constituatur. Quando ergo, quæ nata est de Virgine, caro dicitur eadem in sepulchro iacuisse, sanè priori modo eorum, quos iam explicuimus, non verò posteriori est accipienda: hoc est non tam pro corpore substantiale completo Christi Domini, quam pro eius materia prima organica, & quanta, ut etiam ad primum inconueniens dictum est.

Alij aliter tuentur, plures formas substantiales 22 etiam vitales simul reperiri: nimirum in homine tres, nempe animam rationalem, sensitivam, & vegetativam; in aliis animantibus duas posteriores: in plantis verò

verò solam ultimam. Ita Philoponus, Venetus, Ianduntis, Zabarella, & alij antiquorum. Verum hæc sententia videtur damnata in octava Synodo generali, quæ est Constantinopolitana quarta, Canone 11. ibi. *Apparet quosdam in tantum impietatis venisse, ut homines duas animas habere dogmatizent: talis igitur impietatis inuētores, & similes sapientes, cum vetus, & nouum Testamentum, omnesque Ecclesie Patres unam animam rationalem hominem habere asseuerent, sancta, & vniuersalis Synodus anathematizat.* Et ibidem: *neo duas animas esse dicimus in vno homine: sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt; unam animalem, qua animetur corpus, & innista sit corpori: & alteram spiritualem qua rationem ministret: sed dicimus, unam esse eandemque animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Hactenus Concilium.

24 Ab eadem etiam veritate stant August. Damascenus, & Hieronymus apud Patrem Suarez disput. 11. Metaphysica sect. 10. à numero 24. Quos tum ipse, tum etiam Huradus disp. 1. de anima sect. 4. ac plerique nunc Scholastici sequuntur. Præterea: gradus illi diuersi nimirum esse vegetabile, sensibile, & rationale possunt virtualiter tantum distingui, vt in Metaphysica ex professo ostendimus: cur ergo formas realiter distinctas postulent, quibus attribuantur? Rursus varij gradus metaphysici desumuntur à materia etiam ex parte, vt esse, animal, sensibile &c. at materia ob id realiter in composito multiplex non est, nisi ad summum extensiuè: Similiter ergo forma substantialis hominis aut equi v.g. multiplex non erit, nisi ad summum extensiuè. Demum: si pro varietate illa operationum discurrendi, sentiendi, & vegetandi tres animæ in homine essent, sanè infinitæ in eo formæ substantiales realiter distinctæ essent collocandæ: cum operationes specie diuersæ, cognitiones nimirum, volitiones, vicationes, durationes, & actiones, quas efficere potest, sint non tot quin plures, seu synecathegorematice infinitæ.

25 Hucusque argumenta contra naturalem impossibilitatem plurium formarum substantialium etiam subordinatarum in eadem materia. Porro contra compossibilitatem miraculosam plurium formarum substantialium etiam contrariarum in vna materia obiectis, non posse dari vnus effectus formalis duas causas formales etiam de potentia absoluta: at darètur in nostra sententia: etenim si v.g. forma ignis, & forma ligni forent simul in eadem materia, ignis, & lignum hoc ipso essent vna per se substantia: sed in ea essent plures formæ, seu causæ eius formales: ergo &c.

26 Verum negandum est, tum ignem, & lignum fore vnā per se substantiam, aut naturam: Ad hoc enim oporteret, eorum formas inter se vniri: at non tam inter se, quam cum materia vnirentur; ergo &c. Rursus, etsi vnirentur inter se, nihilominus ad vnus per se naturæ, siue substantiæ compositionem, essent incapaces; propter vtriusque videlicet, complementum, & integritatem in ratione formæ substantialis. Quin etiam affirmari tunc minimè posset, ignis simul est lignum, aut è conuerso. Ideo enim vera est hæc propositio, Deus est homo, & è contrario, quia vnio hypostatica facta est in persona, adeoque rectum hominis, & Dei, nempe persona, est idem: consequenter dicere, Deus est homo, non aliud dictu est, quam persona habens Deitatem est persona habens humanitatem: atqui in præsentī hæc ratio non procedit: vnio namque ligni, & ignis fieret in materia, quæ se sola non est rectum corporis naturalis: proinde, quamuis tum materia ignis esset

materia habens formam ligni, non ob id verum esset, lignum esse ignem, aut è conuerso.



TRACTATUS VIII.

De vnione partium componentium essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit vnio physica in communi?



NIO physica est summa communicatio conceptuum realiter distinctorum: siue ea, qua inter conceptus realiter distinctos, maior intercedere nequit. Cuius rei gratia nota, conceptus realiter distinctos multifariam vtrò, citròque communicari posse: etenim causa, qualiscunque sit, vbi ad effectum concurrat ei sese quodammodo communicat; effectusque, participatio causæ, dici consuevit. Deinde omnis res in tempore, & loco existens spatio temporis, & loci sese communicare; & immiscere, illudque intimè replere dicitur. Vterius, & eodem fermè redit, in aceruo lapidum alij alijs aggregantur, & veluti communicantur. Insuper in exercitu, ciuitate, & republica, aut communitate quauis ordinata, quis neget esse quandam communicationem, partium, tum inter se, tum respectu totius communitatis: Rursus voluntas, cum bonum aliquod appetit, in illud fertur, eique se communicat, & affectiuè vnit. Præterea intellectus, vbi obiectum aliquod cognoscit, illud sibi repræsentat, & intentionaliter vnit, ac proinde illi se communicat. Cæterum, quia nulla communicationum istarum summa est, eaque, qua inter res distinctas maior esse nequeat, idè nulla illarum est vnio physica, sed aut virtualis, aut præfentialis, aut aggregationis, aut ordinis, aut affectiua, aut intentionalis, aliæque eiusmodi.

Quò superior definitio vnionis physice plus innotescat, aliquæ contra eam difficultates sunt dissoluendæ. Obiectis ergo aduersus illam primò. Vnio inter materiam v. g. & formam substantialem hominis alteriùsve animantis est physica, & vera vnio: & tamen non est summa communicatio conceptuum, aut extremorum realiter distinctorum; nam personarum diuinæ realiter distinguuntur, suntque numero tres, vt fide sanctum est: alia verò ex parte communicantur inter se, ac sunt in se inuicem per verissimam circuminfectionem. *Quid distrabis*, inquit Hilarius lib. 3. de Trinitate, *Filium à Patre? vnus sunt*, scilicet is qui est, nihil habens, quod non sit etiam in eo, à quo est. Et Lactan. eius lib. 4. diuin institut. cap. 29. *Quidquid est in Patre ad filium transfudit.* Eodem modo loquuntur alij Patres, & scholastici quos latè refert, & sequitur eruditissimus P. Didacus Ruiz de Trinitate disp. 107.

Tum sic: communicatio diuinarum Personarum est communicatio extremorum realiter distinctorum: atqui est maior communicatio, quam quæ visitur in materia, & forma substantiali physice vnitis: personarum namque diuinæ, quantumvis relatiuè distinctæ, communicant in eadem natura, & essentia, cum tamen materia, & forma substantiales vnitæ diuersas nihilominus essentias, ac naturas retineant: ea-